DISSSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENICULA INFANTUM.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHRENICULA INFANTUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;
Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES B. BOTT,
AMERICANUS.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII, ACADEMIÆ
TYPOGRAPHI.

1800.

The fond parent, like
' The gentle CYCLAMEN *, with dewy eye
' Breathes o'er her lifelefs babe the parting figh ;
' And bending low to earth, with pious hands,
' Inhumes her dear departed in the fands.
" Sweet NURSLING ! withering in thy tender hour,
" O fleep," fhe cries, " and rife a fairer flow'r."

BOTAN. GARD.

* The Cyclamen is a plant that buries its feed in the earth, from whence others fpring, which are thought to receive nourifhment from the parent root, as they are faid not to be made to grow in any other fituation.

JOANNI SHORE, M. D.

VIRGINIENSI;

THOMÆ HADAWAY,

SCOTO;

NECNON

JACOBO S. GILLIAM, M. D.

VIRGINIENSI;

AMICIS SEMPER COLENDIS:

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

AMICITIÆ AC OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

D. D. CQUE.

JOANNES B. BOTT.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENICULA INFANTUM.

JOANNE B. BOTT, Auctore.

AFFECTIONEM, quam penſi hujus academici argumentum ſelegi, e ſanguinis congeſtu, cerebrique vaſorum inflammatione pendere, res medicis hodiernis ſatis nota eſt. Cùmque animum ad aliam rem, de cujus veritate inter omnes jam conſtat, ingentem, nimirum, ſanguinis modum, in caput ob fabricam primæ ætatulæ propriam, diffundi, eandemque ferè humoris vitalis diſtributionem, progrediente

 ætate,

ætate, pulmonem, pelvimque, verſus fieri, attendimus ; harum partium viſcera, tempore quodque ſuo, morbis ſui propriis plùs minùſve affectum iri, prout cauſæ remotæ conſpirant, expectare fas eſt.

Hæc præfatus, ad morbi definitionem a Culleno traditam, et poſtea a Gregorio auctam et emendatam, devenimus.

" Apoplexia (Hydrocephalica) paulatim ad-
" oriens ; infantes et impuberes plerumque,
" primum laſſitudine, febricula, et dolore capi-
" tis ; dein pulſu tardiore, tandem frequen-
" tiore ; pupillæ dilatatione et ſomnolentiâ affi-
" ciens."

Hac Profeſſorum clariſſimorum definitione fructus, obſervationibuſque clariſſimi Rush prolucentibus, infantum *Phreniculam*, libelli mei titulum, apoplexiæ hydrocephalicæ, nomine Culleniano, ſubſtituendi copia mihi detur ; aliamque definitionem, quæ ad meam de mali naturâ ſententiam magìs quadrat, ſubjicere fas ſit.

Phrenicula

Phrenicula paulatim adoriens infantes et impuberes plerumque, nonnunquam, ſed raro, puberes, et adhuc rarius ætate provectos, primùm laſſitudine, ſæpe vomitu, capitis dolore, et pulſu ſenſim accelerato, dein tardiore et abnormi, tandem frequentiore ſed æquali ; pupillæ dilatatione et ſomnolentiâ afficiens.

Auctores, quos inter hanc diſputationem conſcribendam conſului, ſunt viri clari, Whytt, qui morbum primus accuratè deſcripſit, Fothergill, Quin, et Ruſh : Multa quoque Præceptoribus meis MONRONI, qui præclaram de cerebri affectionibus opus in lucem nuper edidit, et GREGORIO accepta refero.

HISTORIA.

VESTIGIA clari Whytt prementes, morbum in tria ſtadia dividimus. Æger, ineunte malo, ſomniculoſus, languidus, ignavuſque plerumque fit : non habet, quo ſe oblectet ; ſolitis ludis et

 oblectamentis

oblectamentis nihil ferè, aut modicè, tangitur; nullâ cibi appetentiâ ducitur; animus est plerumque demissus; interdum verò hilarulus existit. Nausea, aliquando in vomitionem desitura, sæpe adest; cutis, flexo in vesperam die, aret; capitis dolor plùs minùsve gravis, sincipitis plerumque, interdum verticis sedem, parte cerebri maximè affecta, figens, misellum angit: Capitis pars maximè dolens in ejusdem corporis lateris humerum sæpe inclinat: dolori capitis intermittenti cervicis, artuumque angores interveniunt, illi vicissim cessuri: harum partium dolores alternè ingravescentes et remittentes prælia diu miscent.

Æger autem interdum, ut Petit notat, faciei orisque motiunculis, quæ etiam in distentionis nervorum impetum abeùnt, primùm afficitur. Consimile exemplum vidisse mihi contigit: æger quidem aliquandiu post epilepsiæ accessum ante ægrotabat, quàm indicia infantum Phreniculæ manifesta apparuere: æger, decem diebus lapsis, vi morbi dirâ raptus est.

Capitis

Capitis dolor et vomitus vices sæpe alternant: appetentia magìs magìsque imminuitur; lingua modò insigniter munda, modò albida existit: oculi lucem jam refugiunt; æger doloris magnitudine lugubrè ejulat; parum dormit; sopitus dentem dente fatigat, nares sculpit, et sæpe e somno cum clamore trepidus exsilit.

Alvus ferè semper pertinaciùs adstricta est; interdum verò secùs est; hîc vermina adsunt.

Arteriarum pulsus, morbo ineunte, nihil plerumque mutatus est; quamvis accuratus Whytt mecum de hâc re planè dissentiat, at propriâ tamen experientiâ, quæ, quàm parva sit, lubens fateor, edoctus, in sententiâ allatâ, donec rem aliter se habere probatum fuerit, persistem necesse est.

Paucis post diebus indicia, quibus insignitur morbi progressus, superveniunt: visus multùm afficitur; oculorum, modò unius, modò binorum, axes distorti ad nasum plerumque vergunt: pupillæ, illa præsertim iridis fenestra parti dolenti propior, præter naturam amplian-

tur;

tur; vomitio conſtantiùs urget; capitis dolor paulatim ingraveſcens in delirium, præſertim ætate provectioribus, abit; cunctaque pyrexiæ, ſub noctem indies acerbatæ, indicia miſeriæ accedùnt; facies, modò una, modò utraque gena, rubore ſuffunditur: diverſæ corporis partes ſudore, qui nullam ægritudinis levationem affert, ſubinde madent. Hoc ferè tempore ſanguis ex uno biniſve naribus, nullo indè levamine ſenſo, profunditur; arteriæ celerius jam micant, ſpirituſque, pro ratâ, citius meat: omnibus ſignis ingraveſcentibus alia ſuperveniunt, quæ nos ducunt ad

Secundum Valetudinis Stadium. Hoc, ubi arteriarum ictus, antea celerrimi, præter naturam tardi, inæquales, et intermittentes, fiunt, incipere dicitur: quò tardius arteriæ micant, eò inæqualitates jam dictæ inſigniores ſunt: cutis autem calor, res notatu digna, minimè minuitur: at æger tamen capitis dolore pariter cruciari non videtur; veternus irrequietæ conditioni obrepit, nec æger, ut

ut antea, territus e ſomno exſilit; uno, biniſve oculis ſemiapertis, aut ferè clauſis, jacet; oculorum diſtortio et pupillarum, quæ, luce admotâ, ne minimè quidem afficiuntur, amplificatio, plurimùm augentur.

Vomitio jam ceſſat; cibuſque oblatus avidè plerumque glutitur; res tamen omnino secùs interdum exiſtit. Alvi durities jam maxima eſt; anima quibuſdam fœtet; hoc autem minimè perpetuum eſt: Urina in nullo morbi ſtadio ſibi conſtat; modò fœcula albida, modò nil, ſubſidit.

Whytt ægrum hoc morbi ſtadio graviter ejulare notat: oculorum axes ſtraboni tempora verſus diſtorquentur; nonnulli viſum duplicem queruntur, et hoc mali ſtadio ferè exeunte, deliri atque efferati exclamant. Vermes, reſve vermibus liquatis haud abſimiles, ab ægro aliquando egeruntur.

Signa, hoc mali ſtadio, interdum remittunt: hoc autem ſolatium fallax atque fugax eſt: eadem enim citò recrudeſcentia, æger, ut antea,

gemibundus

gemibundus conqueritur : aliam tandem arteriarum percuſſus ſubeunt mutationem, quæ

Tertium Stadium inchoatum indicat ; pulſus enim antea præter naturam tardi, et non ſolùm intervallo, ſed etiam vi, inæquales, æquales et inſigniter crebri fiunt ; ea eſt nunc velocitas, ut interdum vix, ac ne vix quidem, numerari queant : ſpirandi difficultas, unius minuti primi, aut amplius, intervallo inſpirationem inter et expirationem exiſtente, ſimul adeſt ; hæc autem illam ſtatim excipit.

Palpebræ, una primò, dein altera, nervorum reſolutione afficiuntur : iridum feneſtræ, luce etiam vividâ admotâ, non contrahuntur. Hoc autem perpetuum non eſt ; nam interdum, notante Whytt, naturaliter ſe contrahunt ; ſtimuloque, ſpiritu, nimirum, volatili oleoſo, vel etiam luce, palpebris diductis, admoto, aliquandiu ampliatæ perſtant.

Æger, ſi non antea ſomniculoſus fuerat, veterno jam afficitur ; excitatuſque parum cohærentia

rentia forsan loquitur; torpidusque in priorem conditionem relabitur.

Arteriarum micantium velocitas, interdum ante, plerumque post, veternum, accedit: hic quidem morbi ferè inchoati comes nonnunquam est; et ad finem usque perstat. Oculi rubore aliquando, quasi inflammati, suffunduntur; nec vident. Æger manus capiti sæpe admovet; et non rarò faciei, crurum, cæterique corporis, nervorum distentione, tendinumque subsultu, afficitur: pugnus ita comprimitur, ut digiti ægre diducantur; stercus et urina invitè dejiciuntur: incandescit ore rubor sæpius; sed brevi manet, pallori mortis prænuncio cessurus; totum ferè corpus maculis rubris, pustulisque variatur; fatiscit gludiendi vis, nervorumque distentio scenam lugubrem claudit.

Totum corpus, brachia pectusque imprimis, purpurâ saturiore post mortem tinguntur; corporis, artuumque præsertim inferiorum, ca-

lorem aliquandiu poſt artus ſuperiores refrigeratos perſtitiſſe vidi.

Omnia autem ſigna ſupra memorata in omnibus ægris minimè apparent. Burſerius * et Celſus † vocem quibuſdam ægris fatiſcere nos certiores faciunt; quod ipſe ſemel obſervavi. Ruſh ‡ auditûs exemplum ſolito acutioris narrat. "The hearing," inquit ille, "was uncommonly acute, ſo much ſo, that the "ſparks of a hiccory-fire produced great pain "and ſtartings, threatening convulſions." Exemplum hujus prorſus contrarium vidiſſe mihi contigit: æger, quod narratione haud indignum videatur, ſanguine, incisâ unâ alterâve capitis raſi venâ, inſigniter turgidâ, copiosè detracto, ad ſtrepitum fortuitum repentino motu, quod miratus ſum, trepidavit: res, experimento iterato, pariter denuo ceſſit. Surditatem hîc

* Inſtit. Pract. vol. 3. p. 44.

† Lib. 4. chap. 2.

‡ Med. Inquir. vol. 2. p. 209.

hîc ſanguinis accumulatione pependiſſe, ejuſque detractione ſublatam fuiſſe, veriſimile mihi videtur.

Ictus arteriarum præter naturam tardi, et inæquales, capitis, artuumque dolores, et nauſea etiam, quibuſdam defuiſſe feruntur: narrantur etiam pupillarum minimè ampliatarum exempla: alii denique hoc malo laborantes ſtrabones haud evaſerunt.

Morbus intermiſſionibus tempore ſatis certo et definito intervenientibus interdum inſignitur; inde clinici eandem febrem intermittentem rati, cinchonæ officinalis corticem perperam dederunt.

Hydrophobiæ ſigna mali comites nonnunquam ſunt; aliquando alterius lateris corporis nervorum reſolutio ſupervenit. Tempus quod morbus durat minimè definitur. Æger modò diebus plùs minùs decem rapitur; modò, ut Gregorius et Monro nobis confirmant, morbum in ſpatium trimeſtre, aut etiam quadrimeſtre, producitur.

PHENOMENA CADAVERUM INCISIONE INVENTA.

In omni ferè exemplo cerebri, piæ matris vaſa, imprimis, ſanguine, ſpeciminis factitii inſtar, inſigniter turgida comperta erant. Ventriculi modò unus tantùm, modò omnes aquæ aliquando pellucidæ, interdum flavidæ, nonnunquam purpureæ, plùs minùſve habebant. Quamvis aditus inter omnes ventriculos pateant, major tamen aquæ copia in uno quàm in cæteris nonnunquam reperta eſt. Quantitas in aliis exemplis inventa alia eſt, ab uncia ad libram uſque vel ampliùs variata: in quibuſdam autem exemplis nulla aquæ effuſio, ut Gregorius notavit, reperta fuit: in hujuſmodi exemplis cerebri vaſa ſanguine congeſto mirum in modum turgebant.

Aqua raró inter cerebri tunicas inventa eſt. Humor in ventriculis repertus calore non cogitur;

cogitur; acidis, autem, ob glutinis pauxillum quod habet, additis, facilè, Monro teste, concrescit.

Cerebri tumores mole varii, insolita duræ matris crassitudo, compluresque ejus et piæ matris adhesiones inter se, cadaverum incisione sæpe inventi fuerunt: mesenterii glandulæ quibusdam tumidæ atque induratæ fuerunt: hinc malum origine strumosâ natum nonnullis persuasum est. Plexus choroides, hydatidibus sparsus, præter naturam durus interdum apparuit: poteftne hinc jure colligi glandulas cerebri proprias existere? Glandula etiam pituitaria pariter affecta plùs simplice vice reperta est.

Magna denique cerebri portio sæpe desiderata est: Damnum absorptioni tribuitur: hanc sententiam Monro in suo de cerebro et nervis opere perbellè tuetur.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Phreniculæ infantum multæ quidem causæ existunt. His omnia quæ sanguinis congestum, nimiamque distributionem cerebrum versus, faciunt, jure annumerantur. Hujusmodi noxæ cerebrum rectà vel non rectà incitant: quæ directè agunt, eæ sunt vis externa capiti aliquà illata; sive lapsu, ictu, aliove casu, fiat. Hoc genus infortunia pueris inter ludendum non raró eveniunt. Inepta denique infantes in cunis jactandi consuetudo, quæ ferè passim invalescit, et vagitus vehementior nimiam sanguinis distributionem, caput versus faciendo, causa cerebri inflammationi et laticis in ventriculos effusioni efficiendis, idonea mihi videtur.

Causas morbi indirectas in *prædisponentes* et *excitantes* distribuimus. Quod ad illas attinet; literis multa mandantur, quæ malum vitio hæ-

reditario

reditario interdum oriri verisimile reddunt: hoc autem vehementer dubito. At minimè tamen diffitemur, quin plurimæ res fidem facere videantur, liberos vegetos, vividaque vi animi præditos, quibus venæ, præsertim in temporum, frontis, collique cute solito tenuiore tralucent, oculique bovilli et lucidi, parvisque pupillis fenestrati sunt, malo, præ cæteris, opportuniores existere. Si ita sit, malum ideo nasci puto, quod ista corporis temperatura, quippe præter naturam mobilis, rebus externis maximè facillimèque afficitur, et morbo, causis excitantibus admotis, necessariè corripiatur. Istiusmodi igitur pueri, nullam aliam ob causam, in hanc cerebri affectionem cæteris procliviores existere facilè crediderim. Non desunt quidam qui strumam proclivitatem in eundem dare opinantur: hoc autem inde provenire videtur, quod pueri, quales supra descripsimus, scrofulæ maximè patent: porrò mali, hâc etiam proclivitate adjuvante, sine causarum excitantium viribus, occasio raró foret, cere-

brum

brum multò minùs, ineunte, quàm progrediente aut provectâ ætate, pressu, aliisve stimulis afici admodum verisimile videtur. Si res aliter se haberet, pars nascentium longè major arctâ cerebri compressione interirent necesse foret. Porrò imperfecta cranii ossium conditio, quam natura, quæ in omnibus sapit, huic ætatulae dedit, sanguinis intra calvariam congestui, effectibusque a nimiâ sanguinis distributione, illuc sapienter factâ, orituris mirè occurrit. Alia cranii puerilis conditio, *bregma*, putà, maturiùs clausum, pueris, praesertim natura mobilioribus, morbum facilè movere solet.

Causæ Excitantes. His cerebri vasorum laxitas et debilitas, quae faciunt, ut vasculorum oscula humorem copiosiùs in cerebri ventriculos effundant, quàm a venis bibulis absorbetur, plerumque annumerantur. Haec autem causa minimè verisimilis mihi videtur; nam si illa cerebri cachexia adesset; praevia congestûs et inflammationis indicia, quae inter

primas

primas cujuſque exempli indices prodeunt, ſemper deeſſent oporteret. Talem quidem cerebri conditionem aquæ effuſioni anſam præbere minimè negare vellem; hîc, autem, ſigna a ſolitis longè alia, humoremque effuſum non modò ventriculis, ſed etiam in omni cerebri, cæterique corporis, parte, inventum iri, affirmare auſim.

Scirrhus, ſanguinis curſum per cerebri vaſa prohibendo, morbum, de quo agitur, concitare fertur: hujuſmodi quidem vitia prægreſſa phreniculam infantum movere poſſunt: cauſa autem effectuſne inflammationis ſint, nondum inter medicos conſtat.

Cerebri quidem pariter ac pulmonis inflammationem, in ſcirrhum aut tubercula abire facilè adducor ut credam: neminemque iſtiuſmodi vitia a pulmonis inflammatione haud rarò naſci negaturum arbitramur.

Saunders * experimentum narrat, unde tu-

C bercula

* Saunders on the Liver.

bercula ex materiâ quâvis, nimiâ arteriarum actione, in telam *cellulosam* effusâ, et nucleis gignendis idoneâ, oriri posse probatur. Hydrargyri quantitas in canis venam injecta febrem, biduo lapso, accendit, quod ex tussi, arteriarum micantium duritiâ et insolitâ frequentiâ, spirandique difficultate manifestò patuit; signa ad mortem usque ingravescebant. Cadavere inciso, tubercula, quorum alia pus, alia verò adhuc firma, metalli globulos medios habebant, in pulmonis substantia reperta sunt. Nonne hinc colligere fas est, tubercula in cerebro pariter formari posse, si modò arteriarum ejus actio ità mutetur, seu intendatur, ut vasculorum exhalantium oscula materiam aliquam nucleis formandis aptam, venisque bibulis haud resorbendam, in textus spongiosi cellulas effundat? Tumores igitur in phrenicula infantum mortuorum cerebris repertos, haud rariùs morbi effectum quam causam extitisse, verisimile mihi videtur.

Corporis debilitas, morbis prægressis orta, proclivitatem

proclivitatem in phreniculam infantum ideo dare poteſt, quod cerebri vaſa præ debilitate, ſanguinis congeſtui plùs pateant, minùſque ad ejus circuitum ritè abſolvendum valeant.

Phrenicula infantum, complurium aliorum malorum, febris, nimirum, intermittentis, remittentis, continuæ, rheumatiſmi, phthiſeos, catarrhi, vermiumque, (harum quidem longè ſæpius forſan quàm a medicis creditur), effectus eſt. Pyrexiæ etiam imperitè curatæ, quæ ex cute eruptionem faciunt, morbum facilè movent: his accenſeri ſolent febres, cholica, paralyſis, atra bilis, dyſenteria, dentitio, inſolatio, ſcrofula, eruptiones ſuper cutem, ulceraque vetuſta ſubitò repreſſa aut ſanata. Complures autem phreniculæ infantum cauſas excitantes vulgò prolatas imaginationi præſtigiatrici ſolùm inniti Profeſſor GREGORIUS jure aſſerit. Nec ſtabiliore fundamento ſuffulcitur eorum opinio, qui malum iſchuriâ naſci poſuerunt.

CAUSAM PROXIMAM quod attinet; ſi quæ ſu-

pra posuimus, ea rebus veris consentanea sint; malum cerebri inflammatione proximè pendere, manifestum est. Cum autem de proximâ inflammationis causâ nondum satis constat; eam, Dris Quin vestigia premens, sanguinis in cerebri vasis congestum, inflammationi, et aquæ effusioni plerumque, gignendis idoneum voco.

Nulla est quidem medecinæ pars, quæ acriores medicis lites movit, quam lubrica causarum proximarum doctrina, quæ adeo manca et imperfecta est, ut animo veris philosophandi principiis vel levitèr imbuto nauseam necessariè faciat. Mihi igitur ignoscendum spero, qui huic argumenti parti diutius immorari operæ pretium non ducam.

DIAGNOSIS.

Matura morbi, quippe primo tantum, aut ineunte secundo, stadio medicabilis, diagnosis maximi

ximi res eſt momenti; ni hoc enim fiat, medendi ſpes in anguſto eſt. In primo quidem ſtadio ea eſt indiciorum inconſtantia et mutabilitas, ut malum Protei inſtar, difficillimè dignoſcatur; inchoato autem ſecundo, nulla plerumque re a cæteris internoſci poteſt. Ubi arteriæ præter naturam tardæ et inequales micant, ſitis ſimul adeſt, febricula accenditur, et unà cum his inſomnia, oculorum diſtortio, delirium, ejulatio, viſuſque duplex, primi ſtadii notas excipiunt, aquæ in ventriculos effuſio teſtante clariſſimo Whytt, vehementer ſuſpicanda eſt. Si malum autem non antè dignoſcatur, quàm hæc indicia ſuperveniunt, rem, quoad curationem, perinde ſe habere, ac ſi mali natura nos penitùs lateret, contendimus: morbus enim eatenus progreſſus exitium ſemper affert.

Si morbi ineuntis ſigna, inquit Quin, vomitoriis, alvoque hydrargyro peritè iterato purgatæ, minus cedant; ſi oculi lucem refugiant; dolor inter ſcapulas urgeat, ſomnuſque ejulatu

ſubitò

ſubitò rumpatur, et hæc ſigna alia aliis citò ſuccedant; malum, de quo agitur, adeſſe, præſertim ſi eâdem familiâ nati eodem interierint, ſine errandi periculo affirmare valebimus.

Gregorius morbum in primo ſtadio ſæpe dignotu difficilem aſſerit; ubi verò dolor vehementior eſt, et ſedem ſuam in unâ tantum capitis parte figit, atque vomitionem ſomnolentiamque comites habet, eum exiſtere jure credamus oportet.

Peculiaris oculorum vultuſque hoc morbo laborantis ſpecies, verbis vix ac ne vix quidem deſcribenda, interdum exiſtit: qui hanc lineamentorum mutationem ſemel conſpexerint, ii eandem denuo facile plerumque agnoſcent; quod ad morbi diſtinctionem non parum facit.

Hiſtoriam morbi ſupra traditam reputantibus, phreniculam infantum verminationi, tabi *meſentericæ*, dentitioni, et febri, confundi poſſe facile conſtabit. Quânam igitur ratione ab his dijudicetur dicamus oportet.

Verminationi phreniculam infantum ideo toties

toties intermiſceri arbitror, quod vermes, ut ſupra poſuimus, malum multo frequentius comitantur, quam medici hactenus crediderunt: morbo affectos vermes ſæpe egerere, eſt res benè nota. Whytt vermiculationem ab phreniculâ infantum, abſentibus febriculâ et calore, quibus hæc ſemper inſignitur, facilè diſtingui poſſe ponit. Quin ſpaſmis phreniculâ infantum laborantium crurum frequentioribus haud parum innititur; porrò verminantibus capitis dolor potius obtuſus quam acutus eſt, neque eidem capitis parti conſtans et immobilis hæret; cibi appetentia varia, modo vorax, modo nulla, dolente ſimul ventriculo, inſalubris vultus tumor adeſt. Pueris, dum verminant, inſigne bibendi deſiderium, mane præſertim, eſſe, ſæpius obſervavi. Porro abdomen præter naturam non rarò tumet, preſſumque dolet; labrum ſuperius tumidum eſt, humorque aquoſus e naribus fluit; arteriarum pulſus parvi atque enormes ſunt; ſpiritus denique tuſſiculâ ſiccâ ſubinde turbatur. Res autem longè aliter

phreniculâ

phreniculâ infantum laborantibus omnes se habent; ut ex morbi historia clariùs patet.

Tabes mesentericæ verminationisque notæ aliæ alias sæpe ita simulant, ut non rarò internotu difficiles sint: illa igitur affectio ob hanc similitudinem phreniculæ infantum confundi potest. Nulla quidem, quibus separari queant, præter insignem maciem, abdominis tumorem, insolitumque stercoris fœtorem, quibus tabes mesenterica signari solet, indicia novi.

Signa dentitionis propria sunt salivæ ex ore fluxus, gingivarum distentio, tumor et rubor; infantes, gingivis quavis substantia molli fricatis, manifesta solatii indicia exhibent. Digito hoc consilio usus gingivarum compressionem non satis mirari queas; ventris proluvies, varia, modò pallida et aquosa, modò viridis, subinde supervenit; humoris ex urethra stillicidium, cum quâdam urinæ difficultate, quæ, si nonnullis fidem habueris, febrem comitem minuunt, interdum adest; pedum convexa, aversæque manus, interdum tument: hoc autem

perrarò

perrarò fit: horum indiciorum pauciora plurave existentia morbis secernendis plerumque sufficient.

Quod febrem ab phreniculâ infantum secernendam attinet; infantes febre vulgari rariùs affici notasse satis forsan erit. Cum autem dira affectio, de quâ agitur, infantibus solis minime est propria, notæ, quibus a febre internoscatur, tradantur necesse est.

Febre laborantibus oculi longè aliter, ac phreniculâ infantum affectis afficiuntur; iridum fenestræ solito more, luce admotâ, contrahuntur; neque capitis dolor æquè sævus, constans, et acutus, atque stabilis est; porro ejulatus lugubris phreniculae infantum proprius deest; nec oculorum globi sursum vertuntur.

SYMPTOMATUM RATIO.

Nondum adeo exculta est medecina, ut symptomatum ratio philosopho digna reddi

 queat:

queat: rem igitur non ſcientiâ comprehendere, ſed conjecturâ tantum proſequi audebimus.

Capitis dolor vaſis partis inflammatae ſanguine nimio diſtentis oriri videtur: quare autem aliarum partium doloribus cedat, et viciſcim redeat, hoc, ni nervorum nexui tribuatur, non ita facilè exponitur.

Lucis intolerantia ſentiendi vi retinæ nimiâ ſanguinis copiâ ultrà modum auctâ pendet; nimiae aliarum quoque corporis partium ſanguine turgentium ſentiendi vis eadem eſt ratio.

Inquietudo et inſomnia ex eâdem causâ, cerebri, nimirum, inflammatione, oriri videntur: cùm enim ſomnus ex quâdam corporis ſanâ, imprimis cerebri conditione pendet; hâc dolore, inflammatione natâ, impeditâ, ille non modo turbetur, ſed etiam arceatur, neceſſe eſt; vel, ſi Dris Darwin doctrina magis arrideat, illa animi facultate, quæ voluntas audit, haud penitus

ſuſpensâ,

ſuſpenſâ, ſomnus pro ratâ turbetur prorſuſve impediatur neceſſe eſt.

Nares aeger ideo ſcabit, dentibuſque frendet, quòd vermes inteſtina rodunt; et irritatio, ob conſortium quod naribus cum inteſtinis eſt, in illas lege quâdam œconomiae animalis ignotâ diffunditur. Ingratus quidem narium ſenſus ex eorum ſiccitate aliquomodo pendere poteſt; dentiumque ſtridor motui muſculorum pterigoideorum abnormi, ut GREGORY opinatur, imputari poteſt; vel forſan ad conſortium inter nervos maxillae inferioris et plexum meſentericum qui canalem alimentarium animat.

Alvi aſtrictio a diſtributione ſanguinis abnormi caput verſus, quâ inteſtina portione ſanae ac ſolitae eorum conditioni neceſſariâ privantur, aliquâ parte pendet. Idem quoque fieri, ſanguinis curſu a corpore interno ad cutem præter naturam averſo, præſertim ſi ſudor copioſius eliciatur, res medicis ſatis nota.

Pupillarum amplificatio vi nervosâ, quâ, per-

ſtante ſanitate, animantur, deficiente, effici videtur. Oculorum elatio motui muſculorum rectorum enormi tribuendus videtur.

Pulſus arteriarum tardus ac intermittens ex ſyſtematis nervoſi torpore in cor et arterias diffuſo exoritur, quæ ſanguinis ſtimulo in motus abnormes ita cientur, ut ictuum intermiſſio fiat.

Arteriarum percuſſuum velocitatis et æqualitatis, quæ mali finem verſus notantur, ratio difficillimè quidem redditur: Inſignis autem omnium ferè ſignorum mutatio morbi cujuſvis lethiferi finem verſus eſt res viſu minimè rara; quæ naturæ viribus ad morbum debellandum conſpirantibus a multis tribui ſolet. Hæc mutatio illi forſan corporis conditioni tribui poteſt, in quâ fibræ muſculoſæ ſe contrahendi vis, ob nimiam ſtimulationem exhauſta, aliquandiu ceſſat, et tandem, ſtimulo admoto, ſigna vis ſuæ irritabilis præter naturam auctæ indicat. Fieri poteſt, ut cor et arteriæ eâdem ferè mutatione hoc morbo afficiantur. Sanguinis

nis ſtimulo aliquandiu parum ægrèque affecta, vi irritabili renovatâ, in motus frequentiores æqualioreſque tandem cientur.

Spiritus turbamenta viribus muſculorum ei muneri inſervientium damnosè minutis, auctoque univerſi corporis torpore, pendere veri haud abſimile eſt.

Viſus duplex lucis radiis corpore videndo reflexis, et ſuper retinæ partes haud conſpirantes in focum collectis efficitur.

Maculæ rubræ purpureuſque cadaveris color e ſanguine infra cuticulam effuſo naſcuntur.

Invita ſtercoris et urinæ dejectio ex muſculorum, quorum eſt harum excretionum vias claudere, paralyſi pendet.

Corporis caloris, arteriarum pulſantium velocitati minimè congruentis, ratio omnium quidem ſymptomatum difficillimè redditur. Si caloricum autem ſanguinis, non modo dum ex arteriis in venas tranſit, ſed etiam dum humores glandulis ſecernuntur, ob minorem horum venarumque ſanguinis capacitatem, ſenſibile fiat;

fiat; vasa, quæ hos effectus præstant, vividâ cerebri vi haud parum defectâ, muniis suis ritè fungendis imparia fiunt; indeque eveniet, ut minor calorici portio sensilis eliciatur. Hinc calorici, sanguinis circumflui velocitati pro ratâ non respondentis, ratio quodammodo reddi potest.

Convulsiones eidem corporis conditioni, unde aucta cordis et arteriarum velocitas finem versus, pendet, vi, nimirum, irritabili ultra modum, sed non pariter ubique corporis, auctæ, tribuimus; hinc patet quare musculi in abnormes et inæquales motus, et tandem in convulsiones lethiferas cientur.

PROGNOSIS.

Medici de morbi eventu judicium, ob miram infelicitatem quæ perpetua et ferè indivulsa phreniculæ infantum comes hucusque fuit, ferè semper infaustum sit oportet; eidem tamen

men, medecinâ tempestive adhibitâ sæpius quam fieri solet, mederi posse animus inclinat ut arbitrer. Medicum autem non, nisi morbo confirmato, et sæpe longiùs etiam provecto, ubi medecinam non admittit, fato quasi inauspicato volente, arcessi lugendum est.

At morbus tamen haud semper lethalis habeatur; multa enim fausti exitus exempla narrantur. Si primo igitur morbi stadio, ubi turgidorum capitis vasorum exinanitio in manu nostrâ est, symptomata remediis idoneis mitigentur; præsertim si somnolentia minuatur, pristinus oculorum nitor redeat, pupillæque naturaliter contrahantur et amplientur, mensque aliquatenus vegeta fiat, exitus potius faustus sperandus est.

CURA-

CURATIO.

Medendi rationem duo consilia, in quæ omni studio incumbamus necesse est, complecti, morbi causam doctrinamque prolatam reputanti patet. Hæc sunt,

1*mo*, Vim cordis et arteriarum, et præsertim sanguinis vasa cephalica ultra modum distendentis quantitatem, minuere; quod duplice modo, sanguinis nimirum detractione, cursumque per cerebri vasa expeditiorem reddendo, fieri potest.

2*do*, Venarum totius corporis et cerebri imprimis bibularum vires incitatas augere.

Quo primum absolvatur consilium; omnia nimiæ cerebri plenitudini minuendæ idonea sedulò adhibeantur necesse est. Corporis situs is esse debet, qui ulteriori sanguinis cephalici congestui optimè occurrat. Caput igitur, quantum ægri molestia sinat, levetur; diæta

ex

ex imbecillà tantùm materiâ conſtet; omniaque ægri ſenſus graviter afficiunt, lux, putà, ſtrepitus, odoreſque ingrati, cibi item potuſque valentes, qui cordis arteriarumque vires incitant, cautè fugienda ſunt; idoneum etiam caloris regimen ſit neceſſe eſt.

Remedia evacuantia pariter huic conſilio optimè accommodantur. Horum præcipua ſunt ſanguinis detractio, vel e brachio, vel ex cerebri viciniâ, vel ex utrâque parte, prout ſigna poſtulaverint; alvi purgatio; et emplaſtra exulceratoria capiti admota.

1mo, Quoad generalem ſanguinis detractionem, haud parum inter ſe diſſident et diſcordant medici. Complures enim hanc exinanitionem anceps tenerae aetati, quae phreniculæ infantum maximè patet, remedium fore contendunt: Ruſh autem celeberrimus vanum hunc timorem deputat; ſanguinem enim tenerimis etiam infantibus hoc malo affectis copiosè et feliciter detrahere ſolet. Et ſanè hoc remedium infantibus cynanche tracheali af-

fectis toties profuisse vidi, ut doctrinae Rushianæ summam fidem habeam. Cùm autem phrenicula infantum partis, non totius corporis, affectio est, sanguinem ex arteria potiùs temporali aut venis occipitalibus, quàm e brachio, mittere satius forsan videatur; neque ex hoc etiam, si ex illarum neutrâ elici queat, detrahere dubitarem. Quod sanguinem hirudinibus aut cucurbitulis cum ferro deplendum attinet, auxilium secundarium tantùm cui parum, nisi cum aliquâ ex jam dictis conjungatur viis, fidendum arbitramur.

2do, *Vesicatoria*, detracto sanguinis, qui par est, modo, plurimum ut in aliis inflammationis et doloris exemplis fieri solet, profutura videntur. Omni capitis superioris parti, et etiam cervici, per totum morbi cursum imponi debent.

3tio, *Alvi purgatio* catharticis fieri debet acrioribus, non modò ob insignem ventris pigritiam, sed etiam quòd lethargicis sanguini congestum a cerebro ad intestina avertendo,

bibularumque

bibularumque forsan venarum cephalicarum actionem promovendo, auxiliaria extiterunt.

Vomitoria etiam a quibusdam eodem nomine commendantur; num autem huic consilio apta sint, anceps hæreo. Aura autem *electrica*, idonea sanguinis detractione, ad nimiam arteriarum cephalicarum actionem reprimendam, præmissa, per caput trajicienda, auxilium sanguinis circulo per arterias cephalicas expediendo, absorptionique promovendæ, idoneum mihi videtur.

Auxilia caloris corporis nimii, *refrigerantia* vulgò dicta, minimè negligenda sunt. Linteola aceto et aquâ imbuta capiti subinde imponantur. Æthereus ille liquor, qui ex acido sulphurico et vini spiritu paratur, huic fini aptissimus videtur: eumque in uno phrenitidis exemplo, quod medicus ille sagax, Dr Shore Virginiensis, curabat, insigniter profuisse vidi.

Digitalis purpurea remedium in omni affectione, quæ in nimiâ cordis et arteriarum vi, seu inflammatione, consistit, efficacissimum mi-

hi videtur: cùmque hîc ad nimiam harum partium actionem reprimendam, quò ulteriori sanguinis in vasis cephalicis congestui, aquæve effusioni inde oriendæ occurratur, præcipuè incumbimus, et plantam illam celeberrimam vim auxiliarem contra dirum malum, de quo agitur, insignem habere, mihi persuasum est. Beddoes in opere cui titulus, "Contributions "to Physical and Medical Knowledge," hìc mihi, ut ex sequentis loci prolatione patet, mirè quidem consentit: "It is a well known "fact, and probably arising from an indissoluble association between the stomach and "heart, that the pulse generally sinks in consequence of nausea; and as subsequent to "the retardation of the action of the heart, "absorption frequently occurs. It has been "supposed, that nausea, a diminution of arterial motion and absorption, are mutually and "necessarily related to each other; and that, "were the first of these phenomena obstructed,

"the

" the latter, viz. abforption, would not be pro-
" duced."

Auctor tunc addit : " It has therefore been " ufually attempted to promote pulmonary " abforption through the medium of this af- " fection of the ftomach ; whence the prefcrip- " tion of emetics, failing at fea, and of fwing- " ing, to induce vertigo and ficknefs ; and " the digitalis has been hitherto exhibited for " this purpofe."

Sudatio conducat, necne, nondum conftat. Nonnulla quidem morbi fymptomata fudantibus interdum remiferunt ; indeque periculo digna habita fuit ; at celeberrimus GREGORIUS eandem oculorum affectionibus interdum fubveniffe, nil autem amplius profuiffe, narrat.

Opium ad inflammationem a nonnullis clinicis, qui, fi modò quantitate fatis magnâ detur, nil mali ex vi ejus ftimulatrice provenire, contendunt, reprimendam non rarò adhibetur ; imo fic adminiftratum feliciffimos effectus editurum

turum afferunt; ulterius autem experientiæ exitus acta probabit.

Ad *secundam* jam *medendi consilium*, vires, nimirum, bibularum totius corporis, et cerebri imprimis venarum, incitatas augendi modum devenimus.

Morbi tempore, quo hoc consilium opus est, natura, humorem in cerebri cava effundendo, vasa cephalica nimio, quo distenduntur, onere expedire conatur; quod factitiâ humorum detractione præverti debuerat.

Quò hæc curationis pars absolvatur, omnia, non modò quæ ægri vires sustinent, sed etiam, quantum fieri potest, augent, et humoris jam effusi absorptionem promovent, remedia, pro virili adhibeantur oportet: hoc consilio dentur cinchonæ officinalis cortex, vinum, et modicæ forsan opii doses, quibus *æther sulphuricus*, et *ammoniæ* præparata subinde, prout res indicabunt, interponantur.

Remedia actioni venarum absorbentium excitandæ maximè idonea sunt hydrargyrus,

scilla

fcilla maritima, digitalis purpurea, aura electrica, errhina, et diuretica; de quibus folùm pauca, ne folitos opufculi hujufmodi limites tranfgredi videar, notaffe mihi fat erit.

1*mo*, *Hydrargyrus*, multa ejus ufui nuper objecta fuerint licèt, toties hoc malo laborantibus profuit, ut medicorum attentionem jure fibi vindicet. CULLENUS, quod GREGORIUS nos certiores fecit, morbum hydrargyro, fi modò infantibus ita adminiftrari potuiffet, ut faliva copiosè cieretur, medicabilem effe, dictitare folebat; venerandus autem fenex, ut idem auctor narrat, errori fuo fupervixit.

2*do*, *Scillæ maritimæ* radix hydrargyri præparatis juncta hydropicis interdum auxiliatur; num verò hîc pariter proficiat, dicere non aufim.

3*tio*, *Digitalis purpurea* ob miram debilitatem, quam fumentibus inferre folet, huic mali ftadio aliena videtur.

An *aura electrica* malo hucufque provecto prodeffe poteft?

4*to*, *Errhinam*, pituitariâ narium membranâ ſiccâ, profuturam veriſimile eſt. Pulvis aſari compoſitus ſecretioni narium ciendæ idoneus videtur.

5*to*, *Diuretica* medicamenta nil unquam in hoc malo, quantum novi, profuerunt; at periculo tamen haud indigna forſan videantur.

FINIS

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.